



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XVIII. Gregorii Papae I. Ad Mavrvm Abbatem A Sancto Pancratio.  
Commendat ecclesiam sancti Pancratii, vt as eius corpus Dei opus  
peragatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

*Mense Septembri, indictione duodecima.*

## EPISTOLA XVII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD FELICEM EPISCOPVM SIPONTINVM.

De Tribuno ab hostibus redimendo ex ecclesiæ pecuniis.

*Gregorius Felici episcopo Sipontino.*

**Q**VALITER succurrendum sit redemptionibus captiuorum, & sanctorū Canonum, & mundanarum legum sanctio euidenter edocuit. Quod cum omnibus notum fit, mirati sumus, vt fraternitas tua in redemptionem Tribuni clerici tui præsentium latoris nulla mota misericordia subueniret. Quod ergo sponte facere distulisti, nostra saltem facere festina adhortatione commonitus: ne si, quod non credimus, negligendum putaueris, incipiat tibi necessitas, quod voluntas fugit, imponere. Quia igitur supradictus Tribunus ab hostibus se præ datum, ac centum duodecim solidis se perhibet \* comparatum, ad quorum se deflet restitutionem vrgeri, hæc te oportet diligenter inquire. Et si ita est, nec eum vnde precium in se datum reddere poslit habere cognoueris, supradictos solidos de ecclesia redemptori eius restitue. Nam valde durum est si de ecclesia cui militat remedium nullum inueniat. Omis sa itaque excusatione, precium quod in eo datum manifesta veritate patuerit, sine aliqua mora, sicut sumus præfati, restitue; quatenus nec creditorem eius tempore necessitatis afflicto subuenisse poeniteat, & hic onere moeroris exutus, mente libera, officii sui ministerium solicite ac competenter exhibeat.

*Mense Januario, indictione duodecima.*

## EPISTOLA XVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD MAVRVM ABBATEM A SANCTO PANCRATIO.

Commendat ecclesiam sancti Pancratii, vt ad eius corpus Dei opus peragatur.

*Gregorius Mauro abbatи a sanctо Pancratio.*

**E**CCLESIARVM cura, quæ sacerdotalibus officiis euidenter infixa est, ita nos cogit esse solicitos, vt nulla in eis

EPISTOLARVM LIBER III. 361

eis neglectus culpa appareat. Quoniam vero ecclesiam S. Pancratii, quæ erat commissa presbyteris, frequenter neglectam fuisse cognouimus, ita ut venientes dominico die populi Missarum solennia audituri, non inuento presbytero, murmurantes redirent; hoc matura deliberatione nostro sedit arbitrio, ut eis remotis monachorum congregationem in monasterio eidem ecclesiæ cohærenti constituere cum Dei gratia deliberemus, quatenus abbas, qui illic præcesset, curam & solicitudinem antefatæ ecclesiæ habere modis omnibus debuisset. In quo etiam monasterio te Maurum abbatem præuidimus præponendum: statuentes, ut terras præfatæ ecclesiæ, vel quidquid illuc intrauerit, seu de redditibus eius accesserit, antedicto monasterio tuo debeat applicari, atque illic sine diminutione aliqua pertinere: ita sane, ut quæcumque in ipsa suprascripta ecclesia fienda reparandaque sunt, per te sine dubio reparentur. Sed ne remotis presbyteris, quibus ecclesia ipsa fuerat ante commissa, vacare \* ministeriis videatur; idcirco huius tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut peregrinum illic debeas adhibere presbyterum, qui sacra Missarum possit solennia celebrare. Quem tamen & in monasterio tuo habitare, & exinde vitæ subsidia habere necesse est. Sed & hoc præ omnibus curæ tuæ sit, ut ibidem ad sacratissimum corpus beati Pancratii quotidie opus Dei procul dubio peragatur. Hæc igitur quæ tibi præcepti huius facienda serie deputamus, non solum te perficere, verum etiam ab his, qui in officio locoque tuo successerint, sic & in perpetuum seruari volumus & impleri, ut nullus deinceps in supradicta ecclesia possit inueniri neglectus.

EPISTOLA XIX.

G R E G O R I I P A P Æ I.

AD LEONEM ACOLYTHVM.

Ecclesiam sanctæ Agathæ in Suburra commendat.

*Gregorius Leoni acolytho.*

LOCORVM venerabilium cura nos admonet de eorum utilitate per omnia cogitare. Quia ergo ecclesia sanctæ Agathæ sita in Suburra, quæ spelunca fuit aliquan-

*Concil. Tom. 13.*

Zz